A tare cœpisset. Qui rogat suos, ut eum in Ecclesiam ferrent: cumque illuc illatus fuisset, conveniebat ad eum multitudo virorum ac mulierum, simulque etiam infantium plangentium atque dicentium: Cur nos desteris, pastor bone, vel cur nos quasi orphanos derelinquis? Nunquid erit nobis post transitum tuum vita? nunquid erit posimodum, qui nos sapientiæ sale sic condiat, aut ad Dominici nominis timorem talis prudentiæ ratione redarguat? Hæc & his similia populis cum magno fletu dicentibus, tandem sacerdos, spiritu in se sancto influente, respondit, Nolite timere, ò populi: ecce frater meus Aprunculus vivit, & ipse erit sacerdos vester. Qui non intelligentes purabant eum loqui aliquid in extasi. Quo migrante, presbyter ille nequam, alter ex duobus qui remanserat, protinùs omnem facultatem Ecclesiæ, tanquam si jam Episcopus esset, inhians cupiditate præoccupat, dicens, Tandem respexit in me Deus, cognoscens me justiorem esse Sidonio, largiusque est mihi hanc potestatem.

Cumque per totam urbem superbus serretur, adveniente die Dominica, quæ imminebat post transitum sancti viri, præparato epulo, jussit cunctos cives in domo Ecclesiæ invitari, des-
B pectisque senioribus primus recumbit in thoro: cui oblato pincerna poculo, ait: Domine mi, vidi somnium, quod si permittis, edicam: videbam hac nocte Dominica, & ecce erat domus magna, & in domo erat thronus positus, in quo quasi judex residebat cunctis potestate præstantior, cui assistebant multi sacerdotum in albis vestibus, sed & promiscuæ populorum turbæ valdè innumerabiles. Verùm cum hæc trepidus contemplaret, conspicio eminùs inter eos beatum astare Sidonium, & cum presbytero illo tibi charissimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo migravit, attentè litigantem; quo devicto jubet Rex, ut in imis carceris angustiis retrudatur, ablatoque isto contra te iterum suggerit, dicens, te in eo scelere, propter quod ille prior damnatus fuerat, fuisse participem. Verùm ubi judex quem ad te transmitteret, solicitè cœpit inquirere, ego me inter reliquos oculere cœpi, & à tergo steti; tractans apud memetipsum, ne fortè ego, qui notus sum hominis, mittar.

Dum hæc mecum tacitus volverem, amotis omnibus, remansi solus in publico, vocatusque à judice propiùs accedo; cujus virtutem atque splendorem contuens, cœpi hebes esse-
C ctus titubare præ metu. Et ille: Ne timeas puer, inquit, sed vade, dic presbytero illi: veni ad respondendam causam, quia Sidonius te accersiri deprecatus est. Tu verò ne moram facias ad eundum, quia sub grandi testificatione mihi præcepit Rex ille tibi hæc loqui, dicens: Si tacueris, morte pessima morieris. Hæc eo loquente, exterritus presbyter, elapso de manu calice, reddidit spiritum: ac de recubitu ablatus mortuus, sepulturæ mandatus est, possessurus infernum cum satellite suo. Tale judicium super contumaces clericos Dominus in hunc protulit modum, ut unus Arii fortiretur mortem, alius tanquam Simon Magus, Apostoli sancti oratione ab excelsa arce superbiæ præceps allideretur: qui non ambiguntur pariter possidere tartarum, qui simul egerunt nequiter contra S. Episcopum suum. *Baronius anno Christi* 484.

Theodebertus, Francorum in Gallia Transalpina Rex, princeps juvenis, animosus, & gloriæ cupidus, nominis tantùm celebritatem affectans, in Italiam transire constituit, quamvis
D nullo occupandæ illius jure niteretur. Animi enim superbia elati nullum habent conscientiæ respectum, etiamsi iniqua postulent. Cæterùm eam fortunam expertus est, ut quo die flumen Rubiconem transiit, nuncium de regni universi defectione acceperit; quod certè non absque singulari Dei permissione factum; justissimum enim est, ut sola justitiæ divinæ ultione regnis suis exuatur princeps, quicunque stultitiæ tantùm humanæ impulsu regna invadit aliena. Rectè nulli celeriùs homines incidunt in malam fortunam, quàm qui aliena concupiscunt. *Baron. anno Christi* 540. ait, eum magno animo invasisse Italiam, & magnum in Picenum usque duxisse exercitum, sed lue exagitatum admodùm que debilitatum, & imminutum re infecta redire ad propria coactum esse.

Franciscus à Britannia, Armoricæ dux, Ægidium fratrem à consiliariis læsæ majestatis falsò accusatum, in carcerem conjecit; ubi cùm horrendo famis supplicio necaretur, situ & inedia consumeretur, fatalem diem tanti tormenti metam esse prævidens, advocato ad conscientiæ instructionem, pro viatico sui itineris præparando, Monacho Franciscano, fidem ab eo accepit, ut fratri renunciaret, intra quadragesimum diem ad Dei tribunal se sistere oportere. Franciscanus cum ducem in finibus Normanniæ invenisset, mortem fratris ejusque ad summi Dei judicium appellationem illi renunciavit. Dux eo nuncio perterritus, ingenti symptomate corripitur, & paulatim morbi sævitia tabescens, ad diem condictum è vivis sublatus est, prin-
E cipatum cum vita amittens. *Ex Britannicis Chronicis hausit Petrus Matth. Sequanus. Fulgos. lib.* 16. *Vide Æn. Sylvium in Europa c.* 43. *& P. Schererii Postillam* 2. *Dom. adv.*

Menuvercum Paderbornensem Episcopum gravi contumelia Corbejensis quidam Monachus affecerat (sacrum enim Missæ officium peragere volenti, sacras vestes tradere recusavit) cui Episcopus, rediturum Altissimo facti rationem prædixit. Monachus floccipendens risit Episcopum. Ecce moritur Antistes, & nihil mali sentiens ante monachus, in ipsa hora mortis Episcopi exspiravit. *Crantz. lib.* 4. *metrop. cap.* 4.

☞ *Vide Locum de Appellatione. Tit. Appellatio ad tribunal divinum.*

☞ *Et vide paulò ante præsentem Locum, Tit. Iniusti homines, §. Iudices, ubi exemplum habes in Henrico Archiepiscopo Moguntino.*

☞ *Porrò varias Iniustitiæ, prout contra varios admittitur, pœnas, & supplicia, vide ex professo in Loco de pœna sive Punitione, pluribus Titulis.*

F

---

* Innocentia.

Definitio Et Etymologia.

INnocentia, Græcè ἀκακία, & ἄκακος, innocens dicitur. Est autem innocentia puritas animi, omnem injuriæ illationem abhorrens, secundum Ciceronem, *Libr. de Offic. & in Tusc. quæst.* vocat ἀβλάβειαν talem animi affectionem, quæ nemini noceat.

Innocentia integritas est. Sicut nocentes propriè dicuntur, qui injuriam aut maleficium commiserunt, à noceo verbo quod est, obsum, & à maleficio non abstineo: ita innocentes dicuntur, qui ab omni injuria & maleficio abstinent.

Innocentia, Hebr. *Nikkaion*, vacatio culpæ. *Ps.* 26. à verbo *Nakah*, vacavit culpa, vacuus fuit crimine, innocens fuit, G
Naki, innocens, inculpatus. Innocentem atque justum non occides. *Exod.* 23. 7.

Apud Theologos strictiùs accipitur Innocentia, pro eo quod est nunquam peccasse mortiferè.

Unde Regius Propheta: Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo: hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. *Psalm.* 24.

Vera innocentia est, ubi integritas sine peccato, venditio sine debito, flagellum sine merito. *August. in Ps.* 38.

Quid est innocens? qui cùm aliis non nocet, nec sibi nocet. *Ibidem.*

Innocentia & integritas levi sorde violatur aspersa, & gratiæ suæ munus amittit. *Ambr. in hexam.*

Innocentia inter ipsa tormenta fruitur conscientiæ bono & inter malignitates, quum de pœna metuit, de innocentia gloriatur. *Hier. ad Demetr.*

H

* INNOCENTIÆ STATUS

& illius Dotes.

Innocentiæ status ille à Theologis vocatur, in quo Adam creatus fuit, omnibusque bonis cumulabatur; fuisset enim homo in illo immunis ab omni malo tam culpæ quàm pœnæ & miseriæ.

Septem autem dotes illius status, sive excellentias, colligere est ex sacris Litteris, sanctisque Patribus.

Prima est plena rerum omnium cognitio, & sapientia.
II. Gratia, & amicitia Dei,
III. Justitia originalis, quæ erat potissimum decus illius.
IV. Immortalitas & impassibilitas corporis, & animæ, proveniens cum ex Dei singulari protectione, tum ex providentia, & prudentia hominis, qua à noxiis sibi cavisset: & quidem 4. hæc erant in homine.
V. Habitatio in loco amœno voluptatis, & esus arboris vitæ.
VI. Speciali Dei cura; unde consequebatur,
VII. Quòd homo ne venialiter quidem peccare potuisset, nec concupiscere, nec errare.

Siquidem Adam & Eva, cum nudi essent, non erubescebant; unde denotatur simplicitas eorum, & innocentia, propter quà nullus

A nullus ex nuditate corporis pudor accidebat; ubi enim non est libido, non est pudor. Legatur *S. Augustin. l.* 2. *de Gen. ad litteram.*

☞ *Hunc Tit. illustrare poterit alius, qui est de Iustitia originali, in Loco de Iustitia.*

Exempla.

DE INNOCENTIA ET INNOCENTIBUS.

Item Apophthegmata.

Bion olim cum scelerosis navigans, incidit in prædones. Illis dicentibus, Actum est de nobis, si agnoscamur: Et de me, inquit, nisi cognoscamur: Bonis innotuisse, salus est. *Laert. lib.* 2. *cap.* 7.

Socrates morti destinatus, de cunctis rebus magis, quàm de se defendendo, cogitare videbatur. Quare Hermogenes Hipponici filius, Socrati familiaris: Atqui, ait, par erat, ò Socrates, de tua defensione curam habere. Nonne, ait Socrates, tibi videor, ò Hermogenes, hoc ipsum facere, dum quemadmodum vixerim, meditor? Putabat autem Socrates sapientissi-
B mus, omnem defensionem supervacaneam esse apud eos, qui ex vita benè transacta suam innocentiam non agnoscerent. *Bruson. lib.* 2. *cap.* 1. *ex Xenophon. apophthegm.*

Idem jam ad mortem damnatus, Appollodoro comploranti, dicentique, Innocens morieris? Quid, inquit, num me nocentem mori malles? Ea igitur mors libenter subeunda est, in qua criminis innocentia homo excusatur. *Xenophon. in Apologia pro Socrate.*

Idem, cum judices inter se disceptarent, qua pœna dignus esset Socrates: Ego, inquit, ob ea quæ feci, dignum me censeo, qui publicitùs alar in Prytaneo. Nam hoc honoris haberi solebat ferè iis, qui præclarè de Republ. fuissent meriti. M. Tullius hoc refert *lib. de oratore* 1. Erat, inquit, Athenis reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio, hæc sententia: quum judicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi æstimationem commeruisse se maximè confiteretur? quod quum interrogatus Socrates esset, respondit, se meruisse, ut amplissimis honoribus & præmiis decoraretur, & ut ei victus quotidianus publicè in Prytaneo præberetur; qui honos apud Græcos maximus habebatur. Cujus responso judices
C sic exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarint. *Eras. l.* 3. *Apoph.*

Xenocrates passerem, qui fugiens imminentem accipitrem se in sinum suum conjecisset, texit fovitque, ac demulcens dimisit, dicens, innocentem & supplicem non esse prodendum. *Laert. lib.* 4. *cap.* 2.

Plato, quum quidam Platoni narraret, nonnullos esse, qui ipsum maledictis injectarentur: At ego, inquit, sic vivam, ut illis non habeatur fides. *Alus. par.* 2. *Melis. serm.* 69.

Tectamenes, innocenter ab Ephoris damnatus, abiit ridens. Rogantibus autem iis, qui aderant, an contemneret Lacedæmoniorum leges? Nequaquam, inquit, quin gaudeo potiùs, quòd hæc mihi mulcta solvenda est, cum eam nec indixerim cuipiam, nec à quopiam mutuò acceperim. Quo dicterio felicitatis esse putabat, quo mori juberetur, cum neminem unquam offendisset sua innocentia. *Plut. in Lacon. apoph.*

Ages in carcerem detrusus (qui Dechas dicebatur, in quo morti addictis strangulari fuit consuetudo) quum lictorem plorantem, & circa opus titubantem animadvertisset; Omitte, inquit, pro me has lacrymas, amice: sic enim injustè, contra-
D que civitatis leges moriens, longè melior sum, quàm qui nuper me morte damnarunt. *Plut.* 3. *in apoph.*

Aristophontem Æschines tradit apud Athenienses gloriari solitum, quòd cum nonagies quinquies esset vocatus in jus, semper fuisset absolutus. At Cephalus homo popularis, justiùs gloriabatur, quòd cùm plura decreta scripsisset, quàm alius suorum temporum quisquam orator, tamen nunquam coactus esset causam dicere. Certius innocentiæ signum est, ita rem gerere, ut nemo velit accusare, quàm si postulatus elaboris à judicio. Elabuntur interdum nocentes. At qui absolvitur, licèt pœnam effugiat, cicatricem tamen criminis circumfert. *Erasm. lib.* 8. *apoph.*

Phocion: ex his qui cum Phocione erant morituri, quidam indignabundus deplorabat sortem suam. Quem ita consolatus est Phocion: Non tibi, inquit, Evippe (sive, ut quidam legunt, Thudippe) satis est, cum Phocione mori? Phocion non tantùm innocens, verùm etiam præclarè de Repub. meritus, ducebatur ad mortem. Magnum itaque solatium oportebat esse, cum Phocione innocente mori innocentem. *Plut. in apoph.*

Quum Censoris munus gereret Augustus, eques quidam E
Romanus apud illum delatus est, quasi facultates suas imminuisset. At ille citatus, probavit sese auxisse. Mox eidem objectum est, quòd legibus contrahere matrimonium jubentibus non paruisset. Ille docuit, se ex uxore trium liberorum esse patrem. Nec satis erat equiti dimitti, sed Cæsaris crudelitatem exprobrans, addebat: Posthac Cæsar in honestos viros inquirens, honestis viris hoc munus mandato. Satis apertè pronuntians, eos non fuisse viros bonos, qui manifestè falsa ad ipsum detulissent: obiter & ipsum criminans, qui vices suas mandaret sycophantis. Et hanc libertatem innocentiæ condonavit Cæsar. *Erasm. lib.* 4. *apoph. ex Svet.*

Titus Vespasianus audiens, suos antecessores in imperio multis injuriis à subditis affectos: Nemo, inquit, me injuria afficere aut contumelia potest: quia nihil ago, quod alios lædere possit. Quo dicto ostendere voluit, vitæ innocentiam esse certissimum corporis præsidium. *Xiphil. in vita Vespas.*

Idem, quum febre correptus, lectica à loco, in quo tum erat, transferretur, dimotis plagulis cœlum suspexit, questusque est, sibi immerenti vitam eripi, quum nullum per omnem
F vitam exstaret factum, cujus pœniteret, uno duntaxat excepto. Id cujusmodi fuerit, nec ipse prodidit, nec quisquam conjectare potuit. *Sveton.*

Alphonsus Aragonum Rex, percontantibus, cur præter morem aliorum regum absque satellitio incederet? respondit, se Innocentiam habere comitem. *Panormit. de gestis Alphonsi.* Sentiebat Rex integerrimus cum Lyricorum Principe, *lib.* 1. *od.* 22. quòd

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis
Rite pharetra.

Lubet addere prædictis, quod scribit *Lactant. Firmianus lib.* 6. *Instit. Divin.* Nihil sancta, & singularis illa majestas ab homine desiderat, quàm solam Innocentiam: quam si quis Deo obtulerit, satis piè religiosèque litavit.

Summa quoque Innocentia præditus fuisse æstimari debet Magnus Gregorius, qui de seipso fatetur: Sic vixi, ut accusatorem exteriùs non timerem: utinam sic vixissem, ut intra G
meipsum accusatorem conscientiam non haberem! *lib.* 2. *Moral.*

* INNOCENTIÆ PROBATIO.

Sive Purgatio.

Apud veteres olim, & non ita pridem, varia genera probationum, in dubiis, & obscuris rebus, quæque clam ac semotis arbitris commissæ erant, ad veritatem indagandam inventa fuerunt, & usurpata; quæ passim tanquam illicita, partim abrogata, partim in dissuetudinem venerunt. Nostri verò hic instituti non est examinare, quæ probationes, & quantum in asserenda innocentia admitti, aut reprobari debeant: certum enim est, cautè ac circumspectè hac in re procedendum, cùm sæpè sæpiùs hostis generis nostri hic se immittat, & per ludibria fallat. Illud duntaxat hic agimus, ut probationum istiusmodi sive usum, sive abusum, exemplis demonstremus. Interea declaramus eas probationes pro legitimis habendas, quæ juxta sanctarum constitutionum decreta, & Juris communis H
determinationem definiuntur: reliquas verò ab Ecclesia non receptas, aut juri æquitative difformes, pro superstitiosis ludificationibus, metisque imposturis, etiamsi effectus secutus videatur, censendas, habendasque esse.

Fiebant autem hæ probationes per sumptionem certæ aquæ, tractationem ferri candentis, prunarum, aquæ vel olei ferventis, aut per Monomachiam, vel etiam per dejectionem in aquam; quam probationem suspectis de magia adhibere solebant, ut paulò post dicemus. Denique per imprecationes, & devotiones, &c.

☞ *Vide Tit. Apud Fideles, infrà.*

VETERIBUS USITATA.

Ac primum apud Judæos.

Legitur *in lib. Numeror. cap.* 5. Deum mandasse per Moysen, ut mulier de adulterio suspecta, biberet aquam à Sacerdote præparatam, certisque maledictionibus execrabilem redditam: quam si bibebat polluta, intumescebat venter ejus,

A & disrumpebatur, ejusque femur putrescebat, in exemplum toti populo. Si verò nihil criminis admisisset, non lædebatur ab aquis maledictionis.

Sunt qui sentiant, probæ alicujus specimen habuisse Monomachiam illam, sive singulare certamen, in quod David descendit adversus Goliath, eumque in fronte funda percussum superavit. Erat enim hæc conditio pugnæ, ab ipso Goliath adjecta: Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen: si quiverit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævaluero, & percussero servietis nobis. 1. *Reg. cap.* 17.

Servitus autem pœna est gravioris culpæ, & offensionis, cujus velut probatio, & testimonium erat eventus illius monomachiæ.

APUD GENTILES.

Non inusitatas extitisse priscis Gentilibus ejusmodi probationes, videre licet apud Sophoclem. Cùm enim Creon publico decreto, mortisque pœna indicta, corpus Polynicis sepeliri prohibuisset; custodes Regi graviter, acriterque incusati à seipsis, quòd culpa unius foret, non omnium, custodia per B noctis partes cuilibet distributa: cumque diligenter de ea inquisitionem fecisset, nuntium Creonti Regi miserunt, qui præter alia, & hæc in eorum excusationem dixit:

Nemo deprehensus est, nosque latuit.
Sumus verò parati, & candens ferrum manibus tollere,
Et per ignem serpere, Deosque iurare,
Nec fecisse, nec fuisse conscios
Eius, qui de hac re consilium habuerit, nec eius, qui eum fecerit.

Imò memoriæ traditum est (sicut à *Lælio Gyraldo in histor. Deor. syntag. XI.* recensetur) quòd in Castabalis Persicæ Dianæ fano illi indicatæ, virgines semper prunas nudis pedibus ambularent, nullo nocumento: id quod tamen, inquit, dæmonum illusione ad montem Soractis Hirpinæ quædam familiæ ad Feroniæ templum contigisse solitum, tradunt auctores, Plinius, Solinus, Servius. Pausanias miraculum hoc à se visum tradit.

Idipsum quoque *à Strabone lib.* 5. confirmatur: Sub monte, C inquit, Soracte urbs est Feronia, quo nomine & Dea quædam nuncupatur: quam finitimi miro dignantur honore. Eodem in loco ipsius templum est mirificum sacri genus: nam qui ejus numine afflantur, nudis pedibus prunas, & copiosum inambulant sub hac dæmone nulla læsione cinerem, &c.

Hujus Feroniæ meminit etiam *Dionys. Alicarnass. lib.* 3. Fanum est, inquit, quod Sabinis æquè ac Latinis summa religione colitur, sacrum Deæ Feroniæ, quam Græci in suam linguam modò ἀντιφορὸν vertunt, modò φιλοστέφανον, modò Proserpina. Eò statis diebus conveniebant à circumvicinis urbibus, alii votiva Deæ reddituri sacrificia, alii negotiaturi propter celebritatem mercatores, opificesque & agricolæ, quòd forum ibi fit totius Italiæ nobilissimum. Hujus Feroniæ simulachra in numismatibus inventa, transtulit Antonius Augustinus in suum elegantissimum librum de familiis Romanis sub gente Petronia.

Eodem modo legimus, virginem Vestalem Tuciam suspe-D ctæ pudicitiæ, adhibitis adjurationibus, aquam cribro ex Tyberi apportasse: & Claudiam cingulo navem, quæ immota constiterat, attraxisse; accusatorem quoque, tametsi attentè requisitum, nusquam ampliùs comparuisse.

Est autem Thomas Aquinas in ea opinione, id quod hæ duæ Virgines Vestales egerint, etiam ministerio bonorum Angelorum, Deo sic volente, ut castitatis virtutem & præstantiam commendarent, & probarent hominibus, fieri potuisse. In alia tamen fuit sententia Tertullianus, qui harum duarum Vestalium miracula, non ulla divina virtute facta, sed diabolica illusione, & potestate censet.

Præterea Æmiliam Vestalem fascia sua aræ injecta flammam excitasse, & sic innocentiam suam purgasse, cum priùs vota hisce verbis fecisset: Vesta urbis Romæ custos, siquidem piè, & justè sacra tibi annis paulò minùs triginta perfeci, ostende mihi, nolique famam ac vitam meam negligere, ut *Dion. Halicarnassæus* refert, & ex illo *P. Camerar. horar. succisiu. Cent. 2. cap.* 18. *circa medium.*

APUD FIDELES.

E Fuisse & apud fideles usitatos varios probationis modos, ex fide dignis historiographis constat, quamvis ut initio monuimus, plerique eorum, imò omnes in dissuetudinem venerunt, & tanquam illiciti, per quos Deus potiùs impiè tentetur, quàm invocetur ad veritatem aperiendam, jam dudum repudiati, & condemnati fuerint; nos pauca exempla producemus. Ac primùm.

DE PROBATIONE PER MONOMACHIAM.

☞ *Requiratur Titulus de Duello, ubi multa circa hoc argumentum.*

PER INJECTIONEM IN AQUAM FRIGIDAM.

Non multi anni præterierunt, quòd in examine maleficarum Judices plerique usi fuerint proba aquæ frigidæ, idque F ad crimen earum detegendum. Quam probam in Coloniensi tractu adeò fuisse usu receptam, ut nihil esset magis familiare omnibus passim magistratibus, docet & testatur *Iacobus Rickius in examine prædictæ probæ*, impresso apud Gymnicum Coloniæ, anno 1598.

Ea autem proba hoc in modum fit. De maleficiis suspectæ ubi ad manus Judicis devenerunt, manus post tergum pedesque religantur, & ita in profluentem coniiciuntur: addito fune, quem lictor ad ripam dirigat, ut mersas extrahat. Indubitatum enim noxæ testimonium censent, si non merguntur, sed supernatent: innoxiæ æstimantur, si merguntur.

Quamvis autem hæc proba in multis inventa fuerit effectum verè consecuta, ut quæ proprio postmodùm testimonio per quæstionem extorto, aut alias, inventæ sunt extitisse maleficæ: nihilominus tutior est opinio sentientium, illicitum esse quidquid hic agitur: & Bodinus homo alioquin satis in hac re laxus, scribit tale judicium insinuari per dæmonem, & fascino judices involvere. *lib. 4. cap. 4. de Dæmonomania Magor.* Atque in hac proba, uti & sequentibus plerisque, locum obti- G nere decisionem universitatis Parisiensis, publicata 19. Septembris ann. 1391. art. 3. Existimaverim, esse pactum cum dæmone implicitum in omni observatione superstitiosa, cujus eventus à Deo, vel natura non debet exspectari. Adde, quòd hac ratione innocentes in crimen, & supplicium adduci valeant, dæmone, Deo ita permittente, hominem levante in aquis, ne mergatur. Legatur *Matth. de Afflict. Iurisconf. celeb. lib. 2. constit. Neap. Rubr.* 13. *de legibus sublatis, S. Thom.* 2. 2. *q.* 95. *art. 8. ad* 3. *S. Antoni,* 4. *p. tit.* 15. *c.* 34. §. 2. *Et exstat in iure Canon. c. Finale extra de purgat. vulg. &* 2. *q.* 5. *c. Mennam, & c. consuluisti,* & prohibuit hanc probam Frider. II. Imper. & ante eum Lotharius *in Legibus Longobardorum lib. 2. tit.* 54.

Accidit apud nos, inquit Jacobus Rickius suprà, quòd tam viri, quàm fœminæ, videntes cognatos suos, & nudos, & pedibus manibusque ligatos, super aquas instar prumæ ferri, quantumvis neque arte, neque motu ullo natandi instructos, volentes insuper, & sensum tactus in semet experiri, venia à Magistratu obtenta, ac flumini traditi, penèque ad fundum mersi (homines enim, & cætera animata pleraque sensim, & non illicò ut lapis, vel plumbum subsidunt, & demerguntur, cum non solida, sed concava, & mixta corpora sint) ipsi cognato- H rum suorum, & accusatores extiterunt, ac vindices, & probam illam minùs quàm cætera fallere edixerunt indicia.

E diverso contigit, vetulam quandam stipite arundineo nixam (quæ ante complures annos maleficii unà cum marito & sorore insimulata, ac comprehensa, his supplicio absumptis, illam, quòd & leviora tam contra se, quàm cæteras, præsumptiones militarent, pariterque gravida, & proxima partui esset, in exilium fuerat relegata, ubi contra identidem geminatum, ac sub pœna Magistratus interdictum provinciæ, ac habitationi suæ veteri se intulisset) comprehensam, ac aquæ ad submergendum hoc anno 1594. adjudicatam, carnificique traditam, tanta potentia aquis se sæpiùs, interdum & usque ad humeros videndos extulisse, & quasi ebullisse seu prosiluisse, ut demergente, & obtrudente eam sæpiùs conto carnifice, sub aquis vix contineri potuerit: exstititque tum multorum sermo, ipsam, nisi tanta vehementia conto per carnificem fuisset depressa, ac in aquis detenta, facili & quidem celeriori negotio, quàm homini esset possibile, enataturam ac evasuram fuisse.

A Apud Gratianum *Dicto c. Mennam,* in fine narratur, factumque damnatur, Presbyterum quendam de homicidio infamatum, judicio aquæ frigidæ innocentiam suam purgasse, & absolutionem ab Episcopo consequutum fuisse. Refert *Delrio libro 4. cap. 4. q. 4. sect. 4. Disquisition. magicarum.*

PER AQUAM CALIDAM.

LUDOVICO Germaniæ Rege Francofurti mortuo, Carolus Calvus Imperator, & Franciæ Rex, properè Aquas, Coloniamque contendit, ut Lotharingiam, quæ fratris, & filii ejus Lotharii fuerat, occuparet. Ludovicus tres filios reliquerat, Carolomannum, Ludovicum, & Carolum cognomine Crassum. Ex quibus Ludovicus, qui paterno funeri interfuerat, ubi patruum paterni regni fines ingressum castra ad Rhenum posuisse audivit, incensus, quòd paternum regnum invadere esset ausus, Francofordia copias movit, atque ad alteram Rheni ripam è regione consedit. Ibi jure primùm, deinde B gratia per legatos petita, cum neutrum impetrasset: decem homines cum aqua calida, totidemque cum frigida, decemque alios cum ferro candente misit, jussos experiri judicio, utri regnum illud conveniret, quod cum ipso pater suus Ludovicus sacramento interposito divisisset. Qui re tentata, cum detrimentum nullum cepissent, nihil tamen æqui obtinuerunt. Ob id Ludovicus, &c. Sed quomodo tentarunt? sanè injecta manu in ferventem, & non adusta. Ferunt autem adhiberi solitam orationem hujusmodi: Deus judex justus, & patiens, qui es auctor, & amator justitiæ, qui judicas æquitatem, judica Domine, quod justum est, quia recta tua judicia sunt, quia respicis super terram, & facis eam tremere. Tu Domine omnipotens, qui per adventum filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum salvasti, & per ejus passionem genus humanum redemisti: tu hanc aquam per ignem ferventem sanctifica; qui tres pueros, id est Sidrach, Misach, & Abdenago, jussione Regis Babylonis missos in caminum ignis, servasti: tu clementissime præsta, ut si quis innocens in hanc aquam C ferventem manum mittat; sicut tres pueros supradictos de camino ignis eripuisti, & Susannam de falso crimine liberasti: ita Domine manum illius salvam, & illæsam perducas At si quis culpabilis, vel ingrassante diabolo cor induratum, præsumpserit manum mittere: tua justissima pietas hoc declarare dignetur, ut in ejus corpore tua virtus manifestetur, & anima illius per pœnitentiam salvetur. Non igitur ore bibebant, sed manum immittebant.

Docet hoc etiam historia quam narrat *Gregorius Turonensis,* de Diacono Catholico cum presbytero Ariano disputante, & ad fidei veritatem comprobandam sic provocante; Factis rei veritas approbetur; succendatur igni æneus, & in ferventi aqua annulus alicujus projiciatur: qui verò eum sustulerit ex unda ferventi, ille justitiam consequi comprobetur: conditionem hæreticus accipit. Interea Diaconus, diffidentia quadam tentatus, unguentis quibusdam brachium manumque illivit, hæreticus negat periculum subire: cum Catholicus brachium exsereret, hæreticus vidit unguentis delibutum; exclamat, adversarium magicis præsidiis confide-D re, non fidei: oritur altercatio. His itaque litigantibus supervenit Diaconus alius ab urbe Ravenna, Hyacinthus nomine, sciscitansque, quæ esset hæc altercatio? ut veritatem cognovit, nec moratus, extracto è vestimentis brachio, in æneum dexteram mergit: annulus autem qui injectus fuerat, erat valdè levis, ac parvulus, nec minùs ferebatur ab unda, quàm vento ferri posset vel palea. Quem diu multumque quæsitum, infra unius horæ spatium reperit. Accendebatur interea vehementer focus ille sub dolio, quo validiùs fervens, non facilè posset assequi annulus è manu quærentis: extractusque tandem. Nihil Diaconus sensit in carne sua: sed potius protestatur in imo esse frigidum æneum, in summitate verò calorem teporis modici continentem. Quod cernens hæreticus, valdè confusus iniicit manum audax in æneum, dicens: Præstabit mihi hæc fides mea. Injecta manu protinus usque ad ossium internodia omnis caro liquefacta defluxit, & sic altercatio finem accepit. Hæc ille *lib.* 1. *de Glor. Mar. cap.* 81.

In vita S. Gangulphi Martyris apud Surium legitur, quòd cum apud eum de variis criminibus uxor insimularetur, quòd die ad fontem quendam cum ea obambulans devenerit, ubi subsistens, conjugem his verbis compellavit: Multa quidem de te conjux passim ferunt fœda, & indigna natalibus tuis

& adhuc mihi quidem certò non constat, verène, an falsò illa E dicantur. Tum illa etiam intrepidè jurando, falsos de se rumores sparsos ait, nec se unquam alieno concubitu pollutam. At Gangulphus; Divina, inquit, providentia, quam nihil fugit, ut se res habeat, jam certis declarabit indiciis. En fons hic propositus est, nec frigidus valdè, nec immodicè calidus. In hunc igitur immitte manum, & è fundo lapillum extrahe; & si quidem è culpa es aliena, nihil mali patieris; sin autem polluta es, non sinet Deus latere scelus tuum. Illa beati viri, sicut alios omnes, ita hos quoque sermones vecordiæ adscribens, incunctanter manum injecit in fontem. Ecce autem, simulatque lapillum, & se retrahere conata est, membris ferè omnibus obrigescit, & in digitis & brachio, quousque aqua pertigit, abstracta cute, nuda caro cernitur, nihilque aliud misera illa nisi repentinum interitum expectat. Confirmat idem *Sigebertus,* & significat, hunc illum fuisse fontem, quem miraculosè ex Campania Vvarenas Gangulphus transtulerat: convictam adulterii uxorem deseruit, nec diu post uxoris hortatu ab adultero fuit necatus.

PER IGNEM.

F Triplex purgatio Innocentiæ, fuit per Ignem, nempe per rogum, per prunas, per ferrum, vomeres, lateres, chirothecas ardentes, innocentia probari solebat, si illæsus quis abiret: sin, nocens habebatur; & quidem hæc aliquando sponte suscepta, aliquando injuncta.

PER FERRUM CANDENS.

Ferri candentis probationem apud Japonios obtinere, testis est *P. Luisius Froes è Societ. Iesu, in Epistola inde scripta ann.* 1595. ubi hæc narrat: Fuerat Christianus quidam, degens inter Ethnicos, accusatus furti: & quia hoc crimen severissimè castigatur in Japonia, sic ut de eo, quantumvis minimo, convictus, morte cum nulla veniæ spe mulctetur; nec tamen possent hunc Christianum verè convincere, ecce mox G gentiles eum obsident, & dum aliud non possunt, importunè compellunt, ut ritu ipsis consueto juramentum edat: qui erat, ut in folio chartæ subscripto scriberet, quod erat jurandum, deinde folio in palmam manus deposito, imponeret ferrum candens, manumque constringendo, in suum caput vindictam, & iram Chamis imprecaretur, si objecti criminis reus foret. Quòd si manus fortè amburatur, ajunt, experientia probatum eum noxæ esse reum; si verò à læsione cum folio maneat immunis, esse innoxium. Cum igitur hic Christianus in has angustias adductus esset; quippe vel jurandum illi erat, vel repudiato juramento, quo se reum faciebat, vitæ discrimen adeundum; innocentiæ suæ confisus dixit: fas sibi non esse, utpotè Christiano, per falsum Deum Chamis jurare, sed tantùm per verum. Consentiunt gentiles, ut per suum Deum juret: Ille ergo signo crucis in folio expresso, ferroque candenti imposito, quia id facere cogebatur; magna animi præfidentia ferrum manu constrinxit. Res mirabilis; nec manus, nec folium amburitur. Itaque non solùm solutus est pœna, H quam gentiles illi minabantur; verùm etiam culpa, quam falsò illi impingebant. Hactenus *epist. Latinè edita Moguntiæ anno* 1508.

Planè vetus hæc purgatio, & celeberrima fuit. Invenio ferrum istud ignitum vocatum, Judicium; quod nomen arbitror commune fuisse instrumentis omnibus harum vulgarium probationum.

Petrus de Loyheyr lib. 2. *de Spectr. cap.* 7. formulam nobis proponit ex S. Mauricii Andegavensis archivis, istam: Nos tamen sufficienter muniti, denarrationem & discussionem istius causæ nostræ sæpiùs in audientia omnium illuc adstantium offerebamus, & paratos nos semper esse ad omnem justitiam præferebamus; cum ecce quidam de hominibus quos Berlaiius reclamabat, Tetbaldus Peletarius nomine, de parte sua surrexit, nobis nescientibus, & justitia nullatenus dictante, & non per consilium nostrum, qui sponte sua se Judicium portaturum manu sua obtulit. Quod Rainaldus Popardus avunculus suus dixerat sibi, & quæ verè partitio illa facta fuerat de antecessoribus suis, inter Canonicos S. Mauricii, & antecessores illius Barlaii, sicut in chartis nostris continebatur. Et sicut Tetbaldus obtulit, sic paratus fuit, & per manum

A suam in Ecclesia S. Dionysii apud Doadum, videntibus multis, tam de parte nostra, quàm de parte domini Berlaii (quorum nomina subternotata sunt) judicium portavit. Post judicium portatum Tetbaldus ille, Deo propitiante, illæsus, & sanus omninò apparuit. Viderunt autem vel Judicium portari, vel manum tertia die de morte retardari, ferè universi homines & mulieres de Doado, & plures de hominibus domini Berlaii testes Judicii portati, & homines omninò, Deo miserante, salvati, & liberati. Ubi cernis solitos causam addere, quæ illos moveret, sive id exprimere, quod probare per Judicii lationem volebant: Vides etiam Clericos protestantes ut irregularitatem, & censuras evaderent incurrendas; si hominem ipsi adhoc adhortati, & mutilatio vel mors subsecuta fuisset.

Meminere hujus variæ leges Septentrionalium, omnes occupata à Barbaris Italia & Galliis latæ. Apud *Radevicum lib.1. rer. Frider. c.26.* fit mentio legis militaris, qua servus non deprehensus in furto, sed accusatus, jubebatur vel domini juramento, vel igniti ferri judicio se expurgare.

Leges Francicæ, & Longobardicæ jubebant, per novem vo-
B meres ignitos, homicidii accusatum se expurgare. *Lombard. lib.1.tit.12. de parric. Francica lex lib.4.c.56.*

Slavi, postquam veram amplexi sunt religionem, in arboribus, fontibus, lapidibus jurare desierunt; recepto usu, examinandi per Sacerdotes suspecti, adhibito ferro vel vomere candenti. *Helmod. Histor. Slavorum cap.84.*

In Flandria quoque hanc legem Philippus comes tulit an. 1164. Si quis vulnus in nocte acceptum alii imputaverit, si Scabinis dignum videtur, ferro candenti se excusabit accusatus; si aufugerit, manum perdet. Item, si fur vocatus, accusatus fuerit, ferro candenti se excusabit; si culpabilis permanserit, suspendetur. *Meier. in Chron. Flandr.*

In Concilio Triburiensi *cap. Nobilis 2. quæst.5.* docemur, hanc probationem in Germania non fuisse Nobilium, quibus juratoria duodecim ingenuorum contestatio sufficiebat: sed ignobilium. Verùm historiæ testantur, etiam nobiles eam sæpè subivisse, aliquando per laminam, aliquando per chirothecam, aliquando aliter.

Anno 1215. vel circiter *Conrad. Marpurgius Tritbem. in Chron. c.22.* Inquisitor Apostolicus, si accusati de hæresi, ne-
C gabant, judicio ferri candentis experiebatur: & si amburebantur, eos portò committebat rogo. Quod ab illo contra Canones perperam factum, si factum fuit. Jam enim id Stephanus V. prohibuerat.

Caroli tertii Imp. uxor Richarda, fuit insimulata adulterii sed candenti ferro crimen diluit.

Sic Kunigundem Henrici II. Imper. uxorem se expurgasse constat: in eo tamen dissentiunt historici, quòd quidam velint eam calcasse pedibus nudis vomeres: sed de illa postea.

Nonnullos alios, se juvene, *Georg. Pachymeres*, massam candentem manibus innocuis gestasse, commemorat.

Plus est, quod scribit *Saxo Danus lib. 14. Histor. Danor.* in Rugia ad fidem conversa, Matronam quandam, per injuriam à conjuge adulterii insimulatam, cum purgandæ infamiæ gratia manum admovisset candenti laminæ, subitò
D ferrum, quod erat exceptura, perindè atque innoxiæ manus contactum fugiens, neglecto pondere, sublimè se extulit, penduloque motu gradientis feminæ incessum comitans, cum ante aram jactandum esset, inter religiosam astantium admirationem proprio impulsu humi decidit.

Exempli verò memorabilis, & fidei conjugalis specimen nobis duo conjuges, Mutinenses Comites, æterna dignum historia, Othone tertio imperante, exhibuerunt. Mariam erat hic natus uxorem, lubrica fide, conscientia nulla: hæc, ut nova Phædra, Comitem Mutinensem in amplexus trahere conata, repulsam vertit in furorem, & odio ejus quem impotenter amarat inflammata, crimen suum in innocentem regessit. Nec latuit dolus Comitem: Hinc amor in Imperatorem, inde urgebat honor proprius: cessit honor amori: quia Cæsaris honorem vitæ suæ præponebat. Conjugi tamen suæ, mulieri prudentissimæ, & quod rarum, forti, conatus Augustæ, responsum suum, calumnias illius, periculum suum aperuit, decretumque sibi dixit, mille mortes oppetere potiùs acerbissimas, quam tantum Imperatoris sui, de incontinentia, & perfidia Augustæ natum, dedecus in lucem proferat. Proinde illam se, si quid de ipsa bene unquam meruerit, obtestari; virili constantia, sexus & conjugii oblita, sententiam, quæ impendebat, mortis ignominiosæ ut perferret: E
se necato, conjugis animum, & memoriam resumeret, & animo imperterrito nomen mariti ab ignominia liberaret. Non diu post Comes culpam Augustæ suo capite luit, creduli Prœti judicio condemnatus. Conventu deinde Imperiali apud Doncalias instituto, quo die viduis jus dicebatur, Mulier prodit, & coram consessu ex lege Imperatorem ad talionis pœnam vocavit, eò quòd maritum suum injustè de medio sustulisset. Otho admirabundus, At tu, quonam pacto, inquit, viri tui, quam jactas, innocentiam comprobabis? Candenti, inquit illa, lamina. Adfertur Othonis jussu ferrum benè ignitum: allatum vidua sine noxa cunctis intuentibus prehendit manu, & tenuit. Exterruit miraculum Imperatorem, adeò ut se quidem supplicii dignum profiteretur, sed moram posceret aliquam subeundi.

Triplex vadimonium differo (illa respondit) reginæ supplicium solum posco, cujus nefaria calumnia me marito, te fidissimo milite, remp. cive strenuo spoliavit. Cunctis æquissimum visa petere. Augustus eam collaudat, & pro dilatis sibi vadimoniis, quatuor in Hetruria castris donat; Augustam ve- F
rò, quæ veneris ignè malè arserat, carnificis manu in rogum conjectam justis flammis absumi jussit. *Gothofred. Viterb. in Cron. Crantz. lib. 4. Saxon. cap.26.* Verùm paulò aliter hanc historiam enarrat *Siffridus Presbyt.*

Carolo Calvo Francorum rege, Ludovici Germanorum Regis terras nepotibus suis per nefas eripere conantis, Germani primò deprecari vim, & Francis ad ferri igniti judicium vocatis, cum illæsi Germani rediissent, nec ab ambitioso Rege quidquam æqui bonive impetrare valerent, sumptis armis illum re infecta multis amissis ultra Rhenum iterùm compulerunt. *Paul. Æmil. Ann. Francor. lib. 3.*

His favit contra, idem judicium duodecim vomerum interfectores Christiani Comitis de Oldemborg. in Saxonia, prodidit, & in rotam misit. *Alb. Cranz. l.8. Metrop. cap. 14.*

In Saxoniæ quoque oppido Vvirtenburgo, excitati publici incendii crimen impactum fuit cuidam: ille & jurejurando, & judicio se innocentem probavit: cum enim longo itinere ferrum candens manu tulisset, illudque illæsus in terram dejecisset, ecce tibi ferrum ex omnium oculis fugit: sed eo G
fermè anno exacto, cum quidam alius, qui incendi conscius erat, silicibus viam publicam in oppido paviret, ferrum in arena abditum prodit, manumque valdè amburit: mirantur omnes, & vomerem illum recognoscunt, & reum ad judicem abripiunt; qui quæstione admota verum exsculpsit, & cruribus fractis noxium rotæ imposuit. *Crantz. lib. 8. Vandal. cap.30.*

An ergo nunquam hoc judicium fefellit? sæpiùs puto, licèt exempla non habeam ad manum: aliud ergo adscribam ex eadem è qua pleraque reliqua, admirandorum fœcunda Crantzii urna, de Rollone Normannorum Duce, qui Robertus postea vocatus. Noverat suos in latrocinia, furta rapinasque propendere: idcircò severas de his leges tulit; quarum metu pollicens sibi securitatem omnium, jussit rusticos intrepidè rusticani operis instrumenta in agris relinquere. Quidam ex agricolis domum reversus, ab importuna uxore rogatus, cur instrumenta non apportaret? Ducis præceptum objecit. At illa furtim ex agro instrumenta subduxit, & abscondit, ut ma- H
ritum redderet cautiorem. Reversus vir in agrum, ubi non reperit, quæ reliquerat, rem ad loci præfectum defert: ille ad Ducem: vocatus à Duce rusticus, pretium accepit amissorū. Jubetur præfectus ignis purgatione adhibita furem explorare. Primus conatus irritus fuit, nam ignis furem non prodidit, licèt omnes rustici subiissent scrutinam. Tum Dux versus ad Episcopum; Deus, inquit, Christianorum, si est conscius secretorum, cur furem non prodit? Episcopus necdum benè firmatum in religione non corripuit: sed causam prætendit, quia ignis nondum furem tetigisset. Jubetur diligentiùs inquirere præfectus, etiam apud vicinas villas. Nec sic quisquam repertus est. Vocatus à Duce rusticus, an cui indicarit, rem in agro esse, rogatur: ille nemini, præterquam uxori, dixisse respondit. Uxor quæstionibus admota furtum fatetur. Tum Dux, marito clam vocato, Sciebas, inquit, uxorem furacem esse, an non? Ille, sciebam, inquit. Cui Dux, Cur ergo aut non punivisti, aut non indicasti? Ergo jussit ambos suspendio necari. Et hac severitate legem sanxit. *l.2. Norveg. cap.27.*

Memoriæ etiam occurrit factum Catholici Hispani, Arianū Gothum tempore Leovigildi ad probationem ignis provocantis;

A cantis; cum enim verbis, & rationibus nihil proficeret, Est, inquit, digito meo annulus aureus: ego eum in ignem jacto, tu candentem collige. Projectumque inter prunas annulum ita igniri permisit, ut eis similis cerneretur. Conversusque ad hæreticum, ait: si vera est prosecutio tua, sume eum ab igne. Illo autē resistente, ait, Immensa Trinitas Deus, si quid indignum te credo, ostende: certè si recta est fides mea, nihil mihi prævalebunt hæc incendia sæva. Et ablatum ab igne annulum, diutissimè palma sustinuit, & nihil est nocitus. Hoc Gregor. lib. de gloria Confessor. cap.14. verbotenus. Sed hic contestatio fidei sinceræ fuit, non judiciaria inquisitio.

Verùm enimverò non immeritò hæc expurgatio semper bonorum & Deum timentium conscientiam punxit. Legimus enim de Roberto Cantuariensi Episcopo, cum Regi Edovardo persuasisset, ut Emmam matrem adigeret, ob suspicionem stupri cum Advino Vintoniensi commissi, ad hunc se modum expurgare, ut ea ab igne maneret illæsa; timore correptum, in continentem ex Anglia fugisse, ibique animi mœrore brevi contabuisse. *Polyd. Virgil. l.8. Histor. Anglic.*

B

PER PRUNAS.

Non dissimile fuit judicium per prunas, quas vel in sinum coniiciebant, vel manu ferebant, vel calcabant. De Monaco quodam, qui ut meretricem Porphyriam servaret, & monasterio alicui commendaret, nihil veritus fuit eam secum abducere, & propterea in omnium irrisionem, & execrationem incidit, quasi meretrice consuesceret; narrat *Leontius in vita B. Io. Eleemosynarii mense Iun.* eum, cum ægrotasset, & mortem præsentiret propinquantem, coram plurimis jussisse adferri thuribulum plenum candentibus carbonibus, & eos accepisse carbones, & infudisse in sinum, & omnibus audientibus dixisse, Benedictus Dominus, qui olim rubum servavit incombustum; is mihi fuerit testis fidelis; quòd quomodo meas vestes non attigit hæc, quæ est in igne urendi vis, ita nec ego attigi mulierem toto tempore vitæ meæ, &c.

Judicium idem in Gallia subivit B. Briccius, D. Martini in Turonensi sede successor. Hunc enim populus reum peragebat stupri cum muliere religiosæ professionis commissi, quæ linteamina Episcopi lavare solita, ex aliquo improbo pepererat. Bric-
C cius jussit ipsum infantem nondum menstruum in medium adferri: & coram populo interrogavit, num ipse pater ejus foret? respondit infans, cum non esse, sed alium quem non nominavit. Fiebat id virtute divina, sed plebs dæmonis operæ adscribebat. Prunis itaque candentibus sinum implet Briccius, & tota defert urbe illæsus, sic se à libidinis carnalis flagitio alienum professus, quemadmodum flammis vestimentum intactum. Nec tamen furentibus persuasit: sed ab Episcopatu fuit deturbatus. *Gregor. Turon. lib.2. histor. c.1. Sabell. exemp. lib. 10. cap.2. Fulgos. Marul. & alii.*

Haraldus etiam Hybernus, se Magni Regis Norvegiæ, qui Hiberniam bello vexaverat, filium probavit, incedens nudis pedibus super ardentes prunas. *Saxo lib. Danic. histor. lib.13. Crantz. lib.5. Norveg. cap. 6.*

Nec humano in corpore tantùm hæc exploratio obtinuit; sed aliis quoque in rebus. Nam Eulalium monachum fiscella palmea in ignem injecta, & illæsa permanens, suspicione criminis absolvit. *Marul. lib.1. exempl. c.4.*

Rossis verò fidei Catholicæ veritatem, missus ad eos à Basilio Imp. Episcopus persuasit, cùm ipsis postulantibus, liber Eu-
D angeliorum in caminum ardentem missus, & per multas horas ibi relictus, tandem igne extincto integer, nec ullo afflatus ardore fuisset repertus. *Zonaras tom. 3. & Cedrenus*. De Missa D. Isidori, sive ut vocant Mozarabum, memorant non dissimilia Toletani Annales. *Vide Villegam in disp. hac de re post Hispanicas eius Sanctorum vitas.* Qua de re ita *Io. Mariana*: Communi consensu de Gothica precum ratione antiquanda actum. Tentatum id quidem aliquoties erat, neque tamen successerat; & post nonnulla: Visum est controversiam ignis judicio permittere: sic ejus sæculi mores erant rudes, & agrestes, neque satis expensi ad Christianæ pietatis regulam: rogo in platea accenso, liber uterque Romanus & Gothicus in ignem projecti. Et Romanus quidem continuò ex igne prosiliit, id populus victoriam interpretabatur: nam liber alter sub flammis & igne diu permanens, illæsus inventus est. Rege arbitro nihilominus populo persuasum, utramque precandi rationem superis placere, quando uterque liber ex incendio evasisset incolumis, &c. *lib. 19. c.18. de reb. Hispan.*

E

PER PYRAM.

Qui pyram ingressi probandæ innocentiæ causa, multos invenio. Nam & Sophocles, ut dixi, agnoscit morem. Petrus Massiliensis presbyter, suspectus de hæresi, Antiochiæ ipso die Parasceves, Sacrosanctam Christi Domini lanceam manu gestans, nudus corpore, per coacervatorum latè lignorum struem ardentem, mediosque ignes illæsus evasit. *Paul. Æmil. Hist. Franc. lib. 4.*

Poppo Danus presbyter, in fidei Christianæ probationem, vestem priùs cera copiosa illivit, eamque indutus, in medio populi circo, sic se in flammam intulit, & perstitit sine ullo doloris sensu (quod sanctè affirmabat) donec vestis tota corpori circumfusa, intacta flammis cute, in favillas redigeretur, ut habet *Crantz. li. 3. Metrop. cap.43.* Eo permoti miraculo Dani, duelli purgatione sublata, ignis purgationem introduxerunt: fortassis etiam eos movit iteratum aliud ejusdem Popponis factum; nam alio tempore, cum verba Danis persuadendis, F
ut Christiani seriò fierent, non satis haberent efficacitatis, percontatus est; Quid si ad candentis ferri tactum manus ejus cernerent intactas, essentne consensuri credituri que? cunctis succlamantibus, Velle: in chirothecæ formam jussit ferrum cudi, idque ignitum adferri. Rubebat igne ferrum: ille tamen intrepidus manum immisit ad cubitum, deportavitque ad locum constitutum. Ibi cum ad pedes Regis Suenonis proiecisset, victas manus dedit concio, spontè subiens lavacrum regenerationis. *Saxo l.10. VVitickindus l.3. Crantzius l.4. Daniæ cap.24.*

A Theodoro Lectore l. 2. Collectan. historia refertur hujusmodi: Tempore Martiani duos Episcopos, unum Catholicum, alterum Arianum, principio urbis disputasse de fidei dogmate controverso: deinde Catholicum, conditionem concertatori proposuisse, ut vanis disceptationib. prætermissis, rogum ignis secum ingrederetur, & fidei suæ veritatem uterq; hoc indicio, Deo comprobaret teste: denique Arianum detrectasse ingredi, Orthodoxum nihil moratum, ingressumque, ex ipso rogo mul- G
tis differuisse, & nec minimùm ustulatum egressum fuisse. Vera narratio: sed res non sub Martiano, verùm sub Anastasio accidit, ut meliùs à Cedreno, & Niceph. *l.15. c.23. proditum.*

Jactabat Sanavorola se hoc judicium subiturum: cum ad rem ventum, substituit alium pro se: neque hoc detrectabat Minorita accusator; sed hoc tantùm, ne ille Sacrosanctam secum Eucharistiam deferret: quod revera diffidentiæ non obscurum erat signum. Confer ea *quæ scripsit Guicciardin. lib.3. & Volaterran. in Anthrop. cum iis quæ Phil. Comineus l.8. c. 19. qui tempore illo vixit.*

Fulgosus auctor est, à Joanne Gualberto Petrum Archiepiscopum Florentinum, provocatione ad judicium pyræ accensæ, Simoniæ condemnatum, *lib.8. cap.1.*

Sed verius est id à Petro Albanensi Episcopo factum, qui propterea Igneus fuit vocatus, teste *Vrspergensi in Chron.* priùs tamen, quàm ille Episcopus adhuc crearetur, rem totam describam, ex vita ipsius Gualberti, ut creditur, à Blasio Melanesio fide integerrima conscripta. Is postquam narravit sæpè à D. Joannis Gualberti Monachis Petrum illum Flor. accusatum H
simoniæ, & ejus fautores ad ignis judicium provocatos, subdit tandem: Præfigitur itaque locus, & dies, quo istud fieri debeat, ut si qui velint, possint coram intueri. Locus præfixus est in Monasterio Septimi, quod tunc erat Ordinis memorati, nunc verò Cisterciensium est. Dies fuit 4. feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ. Modus probationis fuit ejusmodi, ut in loco publico duæ lignorum strues juxta se fierent; quæ obtinent in longum decem pedes, in latum quinque, in sublime quatuor & dimidium, inter utrasque verò strues semita interesset longitudine brachii, prunis ardentibus constrata, per quam unus ex monachis transiret. Ubi advenit statutus dies, & hora, invitatur Episcopus Petrus à suis, ut accedat visurus tantæ rei experimentum, ne civitas Florentina tam diuturna vexetur altercatione. At ille prorsus renuit: imò si qui charum eum haberent, eos eò accedere vetuit. Sed plebs omnis utriusque sexus, & cleri, maxima pars illuc properarunt. Pollicentur fautores Episcopi, si ea probatio suo potiatur effectu, ut quisquam è fratribus per ignem illæsus transeat, se ipsis suffragaturos, & ab Episcopo defecturos. Itaque fiunt Litaniæ, & aliæ preces à monachis, sacrificium solemniter celebratur ab Abbate illius instituti, clericis, & monachis adjuvantibus. Ubi ven-